

schweigen mag — überall mich der liebenswürdigsten Zuvorkommenheit von Seiten der Herren Beamten erfreuen können und kann all diesen Herren nur meinen aufrichtigen Dank dafür aussprechen.

Beilagen.

Visio Raduini.

Im Codex Reginae Christinae nr. 466 steht f. 64 von Hand saec. XI. geschrieben folgende Vision, den Erzbischof Ebo von Reims und den Streit der Söhne Ludwigs des Frommen gegen den Vater betreffend, welche Flodoard wörtlich in die *Historia Remensis eccl.* II, 19, SS. XIII, 471, aufgenommen hat.

Cum Ebo archiepiscopus Remensis frequenter in palatio regis moraretur, huiusmodi visio de eo in monasterio Sancti Remigii revelata est. Erat ibi monachus quidam nomine Raduinus, genere Longobardus, qui abbas quondam extiterat monasterii quod in monte Bardonis in Italia beatissimi Remigii celebri pollet memoria, Moderamni Rotomagensis archiepiscopi studio dedicata. In quo monasterio dum prefatus Raduinus monachicae professionis gereret officia, ductus amore meritorum beati Remigii, sepulchri eiusdem limina petiit. Qui cum fratribus eiusdem loci vitam ducens religiosam, digne sese ad caelestem satagebat preparare militiam. Quodam vero die, sacrae scilicet assumptionis sanctae Dei genitricis Mariae, post exactum matutinae sollemnitatis officium reliquis fratribus quietem petentibus, ille precis gratia solus remansit in choro, custodibus aeclesiae quiescentibus. At ubi psalmorum continuatione fatigatus irruenti coepit soporari somno, vidit a loco sepulchri sancti pontificis procedere beatissimam Domini genitricem, nimio lumine choruscantem. Cuius herebant lateribus euangelista Iohannes et ipse sacer Remigius, sicque se visi sunt compositis adire gradibus. Superposita vero manu virgo gloriosa leniter eius capiti: 'Quid hic', inquit, 'agis, frater Raduine?' Quo mox pedes illius osculari procumbente, adiecit: 'Ubi modo degit Ebo Remensis archiepiscopus?' Quo respondente: 'Palatina iussu regis exequitur negotia', 'Cur', ait, 'tam sedulo palatii terit limina? Prorsus hinc nequaquam maiore ditabitur sanctitatis efficatia. Veniet enim, veniet celerime tempus, quando non prosperabitur in talibus'. Quem nichil ad haec audentem respondere tali prosequens affatur allocutione: 'Quae vestrorum versatur apud homines regum disceptatio?' Tunc eo respondente: 'Domina genitrix Salvatoris mundi, tuae melius novit hoc sanctitatis incorruptio', ait: 'Quid tantae malo cupiditatis illecti vana nunc grassantur audatia?' Illud enim tunc aderat tempus, quando filiorum